

Bibliothèque numérique

medic@

**Malaval, Adrien - candidat / Linguet,
Robert-Hubert - président. - An à
placido Intestinorum motu perfecta
Chyli secretio ?**

1732.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2327 n°56***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax06x0056](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax06x0056)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis
decimâ octavâ Decembris M. DCC. XXXII.

M. ROBERTO-HUBERTO LINGUET,
Doctore Medico, Præsides. *autore.*

An à placido Intestinorum motu perfecta Chyli secretio?

I.



A est corporis humani conditio, ut præceps in interitum indefinenter passu ruat. Natura illud jugiter intendit, ut quotidiana illius damna reparet, ipsumque fractum ac debilitatum reficiat. Ut illum assequatur scopum nihil ipsi est antiquius, quàm ut utile ab inutiles secernat, hoc foras amandando, illud vetò servans in usum. Quemadmodum sine nutritione neque generatio corporis, neque ejus perfectio & vita consistere potest, sic neque nutritio sine secretionibus. Particularum per cutis poros perenniter effluentium, carterarumque per varios ductus excernendarum jacturâ, per-

perpetuum imminet Animali Oeconomiae exitium. Hæc variis, quæ quotidie assumimus, refarcitur Alimentis. His opitulantibus perpetua nobis est cum morte colluctatio, ipsam quasi Catenis constringimus, eique moras injicimus. Non ab alio derivatur fonte pretiosus ille liquor solus tam solidis quam fluidis partibus reficiendis par, ad ritè functiones obeundas. Etenim Chylo præsentē, vigent omnia, eo absente, omnia collabascunt. Duplicis generis assumimus alimenta, solida nempe & fluida. In Ventriculo & Intestinis ope Salivæ, Bilis, &c. attenuantur, dividuntur, & ad fluiditatem rediguntur. Iphis dissolutis Alimentosis secernitur humor. Hic ab inutili alimentorum massâ foras excernendorum secretus, mechanicâ quâdam singulari fertur in sanguinem.

I I.

CHYLUS tenuis fluidaque est substantia ex alimentis assumptis extracta. Est principium materiale omnium humorum in corpore humano. Tanta est ejus necessitas ut nullum Animal in orbe, ipso absente, vivat. Homo parvo corpore, debilibusque membris præditus, in lucem prodit. Ut confirmetur corpus, solidetur, & ad debitam excreseat amplitudinem, ipsi tribuendus succus nutritius. Hic non nisi à Chylo repetendus. Ab eo sanguis, vitæ fons uberrimus, reparatur. Ab eo humorum elapsorum, & partium abrasarum supplementa dimanant. Ast, quâ ratione hoc perficiatur opus, attendas. Alimentorum dissolutioni peragenda adeo necessarius est motus, ut ex quo primum in os fuerunt ingesta, indefinente motu ferantur. Cibus ore assumptus masticatur, dentibus & potissimum molaribus confringitur. Linguae & Buccinatorum musculorum ope Œsophagi offertur orificio. Illud eodem tempore aperitur per Pharyngis Musculos posteriorem ipsius partem attolentes. In Œsophagum injectus Musculi Œsophagæi ministerio, ejusdemque fibrarum orbicularum protruditur in Ventriculum. Ibi varios experitur motus, tum ex parte ipsius Ventriculi, tum Diaphragmatis & Musculorum abdominalium. Variis liquoribus, quibus irroratur Ventriculus, alluuntur alimenta, dissolvuntur, deinde in ductum Intestinalem pelluntur, ut ulteriorem adipiscantur divisionem.

I I I.

INTESTINORUM duæ sunt species. Tenuia dicuntur alia, Duodenum, Jejunum, Ileum : Crassa alia, Cæcum, Colum, Rectum. Hæc ad expulsionem fæcum, illa ad ulteriorem Chyli elaborationem dicata. Horum quadruplex observatur Tunica. Membranacea una. Musculosa altera duplici fibrarum ordine Longitudinali & Circulari prædita. Tertia nervea innumeris conspersa glandulis. Quarta demum & interior Villosa. Nihil aliud in ipsâ conspicitur, nisi innumerabilium Villorum congeries, seu minutissimorum Tubulorum qui constrictionis ac dilatationis motu gaudent. Tunica illa Villosa solemne est illud Colatorium, per quod omnis humor ex primis viis ad sanguinem usque defertur, & in universum deinde corpus diffunditur. Intestinorum motus Peristalticus præcipua est Chyli secre-

3

tionis causa, & ejus in sanguinem progressus. Valvulae *Conniventes* dictae, quae in Tenuibus conspicuae sunt Intestinis, huic progressioni inserviunt plurimum. Impediunt enim ne, facta compressione, chylosus succus in ipsis contentus Lacteorum vasorum orificia, & Intestinorum villos praeterlabatur. Ipsi moram injicit, ut delibatio in vasa possit impelli. Sed intellige quanti sit momenti, ut motus, quibus hoc praestantissimum perfolvitur opus, ordinati sint atque compositi.

I V.

INTESTINORUM motus juxta naturam debet esse valde placidus, lenis, & quasi undulatorius. Causam quaeris? hanc accipe. Si alimenta concocta praecipiti nimis cursu donarentur, justo celerius ad ejectionem vergerent. Quid inde? Tenuior tunc & subtilior concoctorum alimentorum portio in villos Intestinales & Lacteorum vasorum orificia non posset infundi, sed statim cum faeculentiori ac rudiori massa foras amandaretur. Cur tot anfractus, tot convolutiones? Eo instituuntur sine, ut albicans ille liquor facile possit a materia crassiore segregari. At, inquires, ubi magna vincenda vis, superandaque resistentia, ibi adsit necesse est motus vehemens. Revera motus quo Chyli secretio perficitur, est sat validus, sed non is qui opus impediat. Intestina v.g. si spasmodicis aut torminibus torqueantur, tunc tunica villosa, valde constringitur, atque inde Chylo denegatur aditus, aut si introitus quidam pateat, tunc nonnisi tenue liquidum transmittitur. Metuendum idem fere incommodum vel a nimio, vel a parciore motu. Si enim nimis sint hiantia vasorum Lacteorum oscula, crassior tunc & faeculentior Chyli portio recrementitia fertur in sanguinem. Si vero nimis constricta angustataque, tenuis tantum aquosa pars, remanente utili & alimentosa, ingreditur. Dubitas adhuc? Intuere propius *λεντήρια* laborantes. Franguntur vires. Marcor occupat corpus universum. Unde? nisi quia praemotum vehementiorem alimenta concoqui nequeunt, sed velut unico tractu a ventriculo ad anum usque praecipiti cursu protruduntur: aut si aliqua fiat ipsorum dissolutio, ita manca, ita est imperfecta, ut Chylus inde extractus itineri sibi dicato non possit insistere.

V.

ET certe, si liceret, plurimos in medium possemus proferre morbos, quorum nulla alia agnoscitur causa, nullum aliud principium, quam vehementior citatiorque motus, dum placidus, lenis, atque temperatus desideratur. Sanitas in vera motuum aequabilitate consistit solida inter & fluida. Si hoc vel illud imperio vincat, perturbantur tum animi, tum corporis functiones. Partium consensus deperditur. Uno verbo evertitur machina, aut saltem ipsius exitium imminet. Sanguis impressae viae immemor, intra suos jam contineri limites impotens, transgreditur, aliasque partes a suis divertit muniis. Quot inde damna? Si Ventriculus, qui prima est Chyli elaborandi culina, motibus afficiatur convulsivis, ipsos

Intestinis, quæ cocturæ vices gerunt, communicat. Moras ibi non necitent alimenta. Ergo nullam patientur dissolutionem. Ergo aut nullus Chylus, aut saltem minima quantitas suppeditabitur. Sed adfit. Cuinam insistet itineri? Vasa sanguifera Tunica villosa vicina validissime compressa, ipsam compriment, atque adeo omnis denegabitur aditus paucissimo huic liquori ab alimentis subministrato. Sed è contra supponatur in solidis & in fluidis illa motuum æquabilitas servanda Animalis œconomiae tam necessaria, nulla est futura pars quæ par non sit obeundis functionibus. Successiva & reciproca constrictionis atque dilatationis vigeat motio.

Ergo à placido Intestinatorum motu perfecta Chyli secretio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Desiderius - Claudius Fremont, Chirurgia Professor.

M. Joannes - Baptista du Bois, Scholarum Professor, Serenissimæ Principis primæ Dotariæ de Conty Medicus, & Professor Regius.

M. Joannes - Claudius - Adrianus Helvetius, Regi à Sanctoribus Consiliis, Medicus Regis perpetuo ordinarius, Regineque Medicus Primarius, & è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator.

M. Guillelmus - Josephus de l'Epine.

M. Claudius du Cers.

M. Franciscus Mery.

M. Ludovicus - Hyeronimus Cosnier.

M. Claudius Vergne.

Proponebat Parisiis ADRIANUS MALAVAL,
Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1732.
à sextâ ad meridiem.